CONCLVSIONES
EX SECVNDA
THEOLOGIÆ PARTE

QVAS PVBLICÆ DISPVTATIONI ESPONIT

AC REVERENDISSIMIS PP.

D. ALOYSIO
A PADVA
ET
D. ANGELO
A CIVITELLA

CONGREGATIONIS CASINENSIS
VISITATORIBVS VIGILANTISSIMIS

D. ANGELVS MARIA
A VENETIIS

EIVSDEM CONGREGATIONIS MONACHVS ET
ABBATIÆ FLORENTINÆ ALVMNVS



D. D. D.

FLORENTIÆ MDCCI.

Apud Cæsarem, de Bindis. Sub Signo S. Bernardi.

SVPERIORVM PERMISSV.



REVERENDISSIMI

PATRES



Tolemaum Mathematicis delineationibus addictissimum, Physicen, ac Theologiam, contemptui duxisse accepimus: quod illa ob inconstantem, perpetuòque fluentem materiam capi, ac veluti manuteneri minimè possit; hæc verò præ nimia divinarum rerum excellentia ab humana imbecillitate deprehendi non valeat. Vtramque hanc facultatem vos etiam Meritissimi Præsules, quamvis dispari ratione, arbitror improbare. Corporeas siquidem Mundi huius vicissitudines saniori, quam Geometra ille consilio perpendentes,

tes, fluxarum rerum omnium ſollicitudinem depoſuiſtis, ac adeò mentem ſupernis tantum contemplationibus imbuiſtis, ut meritò nobis omnibus ad altiores cœnobiticas perfectiones addiſcendas, non niſi Vos Infulatos Exploratores, ac Iudices comitia noſtra deſtinaverint. Theologiam etiam à vobis deſpici (quod nollem) haud leviter ſuſpicor, non quod eiuſdem præſtantiſſimis doctrinis ingenium veſtrum iam diù ornatum eſſe me lateat, ſed quia in hac Exploratione per tot noſtra Aſceteria probatiſſimè peracta innumeros huius ſcientiæ, libellos, quaſi in ſtruem Auſpicijs veſtris traditos eſſe compertum habeo, ac proindè ſimilia hic quoque vobis afferre Theoremata, idem mihi videtur, ac ſi quis Amicum ſuum apprehenſa manu ad illud Convivium traheret, in quo non alium, quàm ſæpiſſimè ab eo manducatum, quemque iam nimium faſtidit, apponeret cibum. Meticuloſam tamen hanc deponere iuvat ſuſpicionem, quandoquidem haud abſque temeritatis nota, quod ceteri omnes ex ſuo Palladio Lycæo Magiſtratui veſtro præſtiterunt obſequium, unus Ego non exibere præſumerem. Nec ampliùs vereor ne ſimilem Theologicam Synopſim faſtidiatis, auream enim Religioſa Sapientia veſtra non ignorat, imò, & frequenter nos docuit ſententiam, Divina Myſteria, quò ſæpiùs audiuntur, eò vehementiùs ad eadem audienda deſiderium provocare. Valete.



THEO-

THEOREMATA

EX TOTA SECVNDA.

THEOLOGIÆ PARTE.

DE BEATITVDINE SVPERNATVRALI



Eatitudo nostra supernaturalis, quæ necessariò debet esse perpetua, licet de se reddat voluntatem impeccabilem, imò necessitatam etiam quoad exercitium ad amandũ Deum, formaliter tamen in solo actu intellectus consistit, per quem clare videtur Deus ut est in se.

II

QVa de re neque per absolutam potentiam præfata visio subsistere posset si unum tantum attributum, vel personam non attingeret.

DE ACTIBVS HVMANIS.

III

VOluntarium, quod est id, cuius principium est intra cum præcognitione finis, & circumstantiarum ita exigit verum actum, ut non possit dari omissio voluntaria absque ullo actu. Per ignorantiam quidem antecedentem tollitur voluntarietas, non autem per concupiscentiam, neque per metum gravem, nisi quod hic illam imminuat. Violentia verò nullo modo actibus elicitis, uerè, & directè, sed tantum imperatis accidere potest.

IV

OMnis actus humanus in individuo est determinatè bonus, vel malus moraliter licet autem bonitatem vel malitiam essentialem habeat ex obiecto, si tamen actus aliàs ex illo bonus malitiam habeat ex fine, vel circumstantia aliqua evadit simpliciter malus: dantur insuper circumstantiæ mutantes speciem bonitatis, vel malitię moralis.

DE

DE VITIIS, ET PECCATIS.

V

VItium, de cuius intrinseca ratione est malitia causalis, imò & formalis remota, si sit contra naturam est tantum indirectè oppositum virtuti infusę. Omne peccatum de se est contra legem: differentia post modum inter mortale, & veniale est quia illud tollit ordinem ab ultimo fine, hoc vero circa media. Malitia peccati mortalis etiam in ratione offensæ Dei, non est simpliciter, & intrinsecè infinita. Licet ex pluribus venialibus nequeat fieri unum mortale, bene tamen posterior culpa, quæ de se esset levis propter coniunctionem cum præcedentibus potest evadere gravis.

VI

PRimus Parens in statu innocentiæ non potuisset primò peccare venialiter; imo neque in eius posteris peccatum originale potest cum solo veniali reperiri; Non obstante, quod peccatũ veniale de se non mereatur nisi poenam temporalem, si tamen reperiatur coniunctum cum mortali punitur æterna poena in futura vita.

DE GRATIA DIVINA.

VII

POtuisset homo à Deo creari in statu purę naturę æqualiter obnoxius secundum esse reale omnibus defectibus, quibus de facto subiacet ex vi originalis peccati, non autem quoad esse morale, quandoquidem post Adæ peccatum spoliati quidem gratuitis, in naturalibus autem non nisi extrinsecè tantum vulnerati remansimus: hinc adest in nobis potestas antecedens, & consequens ab opera moraliter bona intra ordinem naturæ etiam ad amandum Deum ut auctorem naturę supuer omnia affectu tamen volatico, non inducente diuturnam observantiam omnium mandatorum naturalium in quavis tentatione absque gratia supernaturali per Christum. Creaturam rationalem contra finem tantum naturalem impeccabilem admittimus, simpliciter tamen contra omnem finem etiam supernaturalē implicare sustinemus.

VIII

VIII

PRo qualibet autem actione quovis modo etiam initiativè, vel dispositivè conducente ad salutem omninò necessaria est gratia supernaturalis quæ inter alias divisiones benè secernitur ex sua intrinseca natura in sufficientem, & efficacem. Gratia denique sanctificans realiter distinguitur ab habitu Charitatis.

DE IVSTIFICATIONE, ET MERITO.

IX

IVstificatio Impii ita de facto fit per gratiam intrinsecæ inherentem, ut repugnet sine ipsa fieri; verum quidem est de potentia absoluta iustificari posse adultum absque retractatione suæ gravis culpæ personalis. Quoduis autem peccatum grave semel per iustificationem dimissum nullo modo redire potest.

X

VEre, & proprie potest homo in pręsenti statu mereri de condigno vitam aeternã, pro hoc tamen pręcipuè requiritur, ut operatio proveniat per auxilium gratiæ actualis, hinc nemo potest de condigno sibi mereri primam gratiam. Licet denique Iustificatus ad augmentum gratiæ condignum meritum habere possit nullo tamen pacto ad perseverantiam finalem in præsenti saltem ordine loquendo.

DE VIRTVTIBVS.

XI

HAbitus virtutum Theologicarum cum habitu quidem vitii contrarij, non autem cum eiusdem actu est compossibilis. Obiectum materiale fidei non est Deus tantum ut Trinus, & Vnus, sed qnodliber ab ipso obscurè revelatum, quamuis attributionis seu principale utique in ipso Deo sit reponendum, formale autem in divina auctoritate testificante collocamus. Fides denique adeo de suo formali obscuritatem involuit ut nullatenus cum evidenti cognitione siivè per visionem intuitivam sivè per scientiam habita sit compossibilis: & quia etiam summam exigit firmitatem in assensu, opinativi actus consortium essentialiter respuit.

XII.

XII.

Licet revelatio aeternæ Damnationis sit incompossibilis cum statu viatoris si tamen Deus de sua absoluta potentia illam alicui revelaret, sivè eum absolvendo è statu viç sivè ut placet alijs sic absolutè, & simpliciter, nullo pacto Revelatarius posset positivè sperare, neque positivè desperare deberet per affectum contemptiuum divinç omnipotentiç, pietatis, & promissionis, sed tantum negativè,

DE IVRE, ET IVSTITIA.

XIII

IVs proprietatis in genere est libera facultas disponendi circa rem, vel personam quoad usus, vel actiones lege non prohibitas, nec legitimè impedibiles ab alijs, hinc Deo ius proprietatis verè competit essentialiter sibi subordinans omnia iura creata. Iustitia, cuius subiectum & sola voluntas, sumpta particulariter ut distincta a Legali non solum à Theologicis, sed a ceteris alijs virtutibus specie discriminatur. Dividitur autem in Distributivam, & Commutativam tamquam in veras sui species, a quibus adequatè etiam ut nova species Iustitia differt Vindicativa.

XIV.

DOminium plenè acceptum quamvis soleat a Iuris peritis cum Bartolo definiri in L. si quis ff. de acquirenda possessione ut sit Ius perfectè disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur, non indè excluduntur actiones, officia, servitutes, & reliqua, quæ incorporalia in iure appellantur, hæc enim etiam quasi dominio habentur. Ex quo fit non posse esse apud duos pro eodem instanti de eadem re plene & stricte sumptum Dominium. Licitus tandem usus rerum actu consumptibilium vere est separabilis ab omni dominio, & iure proprietatis.

LAVS DEO.

Disputabuntur Publice in Ecclesia S. M. de Florentia, obiectis satisfaciet idem qui supra Assistente P. D. Alphonso à Neapoli ibidem Lectore.

Anno MDCCI. Mense Die Hora